



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Prologium Autoris Ad Academicos Sacrosanctae Theologiae & Imperialis  
Juris Studiosos, Auditores quondam suos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



PROLOQVIVM  
AUTORIS  
Ad Academicos Sacrosanctæ Theolo-  
giæ & Imperialis Juris Studiosos,  
Auditores quondam suos.

**H**abeo fidem meam & Praelectionibus atque exercitationibus Academicis paratas, jam vero è busto reparatas, Institutiones Canonicas publici, vestrique praesertim, juris facio, ab alto ducti Nobilissimi sanguinis splendore Illustrissimi, Religione, Virtute, alijsq; Dotibus Ornatissimi DD. Divini & Humani, Imperialis praesertim, juris quondam Auditores, nunc scientiâ usûque Clarissimi Doctores & in Curis ac Lycæis Professores. Debitor earum jam dudum fui vestris, non tam desiderii & expectationi, quam in me studiis meritisque: cum, ut formaremini ad Rempublicam & sustinenda, quæ nunc geritis, munera & administrationes, propositis vobis sacre Theologicae & Legalis Scientiæ disciplinis, Sacrorum Canonum notitiâ comparanda studium ita conjunxistis; ut illos, qui his solis navabant operam, sicut nomine superâstis numeroque, sic proficiendi ardore perfectûque longò post vos intervallò relinqueretis. Meministis, opinor, sicut Virtutes, sic & rerum Scientiâs concatenatas, harumque esse nullam, quæ mutuatâ ab aliis luce non egeat, ac perficiatur: earum maximè, quarum vos tenebamini desiderid studioque, quarumque Principiis ac Regulis publica consistit salus & felicitas promoveretur.

Documento ea in re fuere, qui præ aliis excelluerunt, Divinarum Humanarumque rerum notitiâ, justis injustisque Scientiæ Magistri & Doctores: quique sublimiorum, & Religionis ac Justitiæ cultum proximè spectantium, disciplinarum tractationem ex officio publico vel suomet consilio aliquando susceperunt; atque, ut ea humanarum Societatum necessitati utilitatique ex æquo, aut parte saltem aliqua responderet, non domesticâ duntaxat, sed ad scientiâ etiam eruditione ad perfectionem excoluerunt.

Quin Legalis inter & Canonica notitiâ disciplinas peracti nexûs vinculum agnoverunt ipsimet Ecclesiæ Antistites supremi, Romanas leges, divinitus per

rus per ora Principum promulgatas, venerandas, pronuntiantes, can. fin. 16. q. 3. & can. Sive de conjugii, 33. q. 2. earumque definitionibus Apostolicas Constitutiones ac Rescripta cum Innocentio III. soliti adornare, c. Innotuit. 1. de Arbitr. cc. 1. de Juram. Calumn. & de Confessis, c. Inter alia 6. de Immunit. Eccles. c. Unic. de Cognat. legali, c. Calumniam 4. de Poenis, c. Cum secundum 19. de Hæretic. in 6. & c. Omnium verò luculentissimè Lucius III. cujus in rem hanc palmare Oraculum est, Sicut leges non de dignantur sacros Canones imitari, ita sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur, c. 1. de Novi oper. nunt. Quantumvis enim Lex Canonica famuletur potiùs, quàm dominetur, c. Super specula 28. pr. de Privileg. & ubi illa peccatorum fomentis animarum salutem adducit in discrimen, istius subjaceat cedatque correctioni, arg. c. Sæpe 18. de Restitut. Spoliat. & c. fin. de Præscript. lucem tamen non rarò mutuan accipiunt redduntque vicissim; & ubi casus à Jurium altero intactus, aut non satis explicatus est, defectum supplet alterum, aut alterius tollit obscuritatem. Hinc profectò est, quòd illorum, qui alterius elucubrant Commentaria, is præcipuè labor semper sit; ut in Speciem pugnantes utriusque decisiones reducant in concordiam: vel, si istam non admittant, Legum rigorem Canonicam mitigent Æquitate: & qui super ambiguis causarum articulis, aut inter partes natis questionibus consilij jurisve dicendi gratià adeuntur, responsa aut pronuntiationes suas utrique conformare, si qua possunt, ratione nitantur.

Non major inter Legalem & Canonicam, quàm istam inter & Theologicam disciplinam nexus, quàm consensio & communicatio est inter utriusque Magistros ac Doctores. Eorum certè, qui in sacrorum Ecclesie Canonum per- vestigatione explanationeque præcipui totique fuerunt, ut à ratione Naturalis & Divini Juris præceptionibus non aberrarent, perpetuum ad Theologos, utrius- que illius Juris Interpretes præstantissimos, recursum fuisse, fidem minimè du- biam faciunt eorum lucubrationes & Commentaria: eumque recursum fuisse mutuum, luce meridiana clariùs demonstrant in sacerrima illa & cæterarum omnium Principe, Theologica, inquam, disciplina primi nominis Doctorum mo- numenta, Decretorum Synodaliùm & Apostolicarum Constitutionum subtili pa- riter solidaque expositione sic referata; ut Divini, quàm professi sunt, an Eccle- siastici Juris Scientià prævaluerint, vocari in disceptationem: eorumque ma- gisteriò statui possit, Canonicam Theologicam Scientiam quandam esse portionem. Affernere id quondam, & illam Positivam aut Præcticam Theologiam dixere Alvar. Pelagius Lib. 2. de Planctu Eccles. art. 20. Melchior Canus, Salman- tina Studiorum Universtatis Theologorum suò evò primipilus, Lib. 8. de Lo- cis Theo-

eis Theolog. cap. 6. & Sylveſter Prieras, famigeratus ille quondam S. Palatii  
 Apoſtolici Magiſter, in Summa V. Doctor n. 5. in fine; quibus poſt complures  
 alios noviffime ſuffragatus eſt ſacra Facultatis utriusque Doctor & Eccleſie  
 Princeps Purpuratus Jacobus Pignatellus Tom. I. Canonic. Conſult. 147. n.  
 II. quod ipſa etiam divinitus inſpirata, can. Violatores 15. q. 1. ex au-  
 toritatibus veteris ac novi Teſtamenti, quaſi ex fontibus, per rivulos dima-  
 net, c. 1. pr. de Translat. Episc. & c. Qualiter 24. pr. de Accuſat. & ex  
 fine ſuo ipſa quoque fideles ad aeternam beatitudinem ſalutemque animarum  
 Spiritualem ac ſupernaturalem, per Religionis Juſtitiaꝝ & Pietatis Chri-  
 ſtiana opera conſequendam, dirigat perducátque: atque ad communem hunc  
 ſacra Diſciplina utriusque finem opitulationem Theologica haud ſane levem  
 conferat ex ſacro &, ad Cleri Populique informationem motumque in ipſis re-  
 formationem comparato apparatu, inſtructiſſimo armario ſanctionum Eccleſia-  
 ſticarum: quibus, ad Orthodoxæ Fidei, Juſtificationis noſtræ principij ac funda-  
 menti, in fidelibus conſervationem tuitionemque, adverſus ſequiora &  
 Veritati inimica dogmata ſaluberrima cautiones & Hæretica pravitate coër-  
 citio ſeveriſſima conſtituta; Sacramentorum, ſeptem illorum Sanctificantis  
 Gratia fontium, ritus & decentis adminiſtrationis ornatus omnis definitus:  
 Eccleſiarum & Hierarchici Ordinis, quò præſtantius nihil habet Orbis uni-  
 verſus, exornata dignitas & ad eum, quò refulget, Splendorem ac magnifi-  
 centiam eſt elevata. Iſdem Eccleſia Præſulum ac miniſtrorum, quàm ſacro-  
 rum ſcientiã prudentiãque & virtute præſtantium, tam vita & profeſſionis  
 genere diverſorum, digeſti Ordines, officiaque & adminiſtrationis munera ſin-  
 gulis attributa: & ne à multitudine periculum eſſet confuſionis, ſuum cui-  
 que certis limitibus eſt circumſcriptum. Ut Jurisjurandi Fortique Religio  
 & Sacris omnibus debita reverentia Juſtitiaꝝ, cultus ſibi conſtet, iſdem cum  
 Simonia labe Sacrilegium omne, omnisque, iniquitas cum Uſurariis pacti-  
 bus ab humana ſocietate & commercio proſcripta. Ut jus ſuum ſibi ve debi-  
 tum cuique tribuatur &, vi metumque, dolo & injuriã remotis, firmetur Pax  
 & Tranquillitas publica ſtabiliatur, providè conſultum: Naturali aequitate  
 attemperatus Ordo Judiciorum, & ad innocentiũ tutelam in facinoroſos  
 ac nocentes juſta & ad exemplum valitura ſeveritatis animadverſio propo-  
 ſita iſdem fuit.

Intentos in iſta cum Caleſtino Papa, can. Nulli 4. diſt. 38. mentis oculos  
 habuere Patres Toletani, quorum in Synodo IV. cap. 24. cap. I. diſt. cit. rela-  
 tum de iis, qui Eccleſiarum regimen & animarum Paſtoralem curam ſuſci-  
 piunt, Decretum eſt, Sciant Sacerdotes Scripturas ſanctas & Canones; ut  
 ædificent

ædificent cunctos tam Fidei scientiâ, quàm Operum disciplinâ. In eadem  
intenti & Vos, Auditores quondam mei, videmini fuisse, cum in omnige-  
ni Juris peruestigationem & ad eam, quâ nunc plurimum valetis, rerum  
notitiam comparandam studium & curas vestras omnes converteretis.

Proposita ea, & laudatorum Ecclesie Antistitum de Romanis legibus sen-  
sus asimatioque, mihi quoque fuerunt in ista Canoniarum Institutionum di-  
gestione. Quam, ut Reipublica utriusque utilitati, & Vestris, in Sacro utro-  
que & Seculari Foro desudantium, usibus accommodatam exhiberem, non Con-  
ciliarium duntaxat & Apostolicarum Constitutionum Regulis, sed Responsis  
etiam ac Rescriptis Imperialibus, ex quibus ille profluunt, rationi Naturali &  
Divinis sanctionibus consentaneam reddere sum conatus. Ne autem propo-  
siti justoque latius diffunderetur, eam casuum ac dubitationum frequentius  
occurrentium resolutione, explicatione communium Juris decisionum & in  
speciem adversantium ab antinomia vindicatione, aut, si hanc respuerent,  
mutationis rationum investigatione conclusi. In Opinionum etiam exposi-  
tionumque delectu Interpretes ac Doctores secutus & allegare nisus sum à do-  
ctrina præstantia & cum perspicuitate conjuncta soliditate maximè proba-  
tos: quique subjectam materiam ex instituto aut aliis uberius curatiusque  
pertractarunt. Stylum demum ita contraxi, ut cavendum illud solummo-  
do ducerem; ne, sicut succinctæ lucubrationis Studiofis permultis, mihi quo-  
que occini posset Horatianum illud de Arte Poetica,

Decipimur recti Specie; brevis esse laboro;

Obscurus fio.

Quæ si, ut ab humanitate vestra confido, ex parte aliqua me consecutum ju-  
dicaveritis, opera ac laboris mei pretium grande præmiarumque amplissimum  
me retulisse existimabo. Utcunque autem ista, & qualescunque Institutio-  
nes mea sint, earum præstatione desideris Vestris meritisque debitum exoluo.  
Utimini, Fruimini: porròque favete & valete.



ELEN-